



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni  
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quòd Macedonius & qui illi addicti erant, cum Acacianis discordabant, &  
quid pro se responderint. Capvt XIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12718**



Viam reducere studuit, & quemadmodū de deo sentiendū esset, docuit. Dein Illyriā propere pertransiēs, venit in Italiam. Ibi Hilarium episcopū Pictauiorū, quod est oppidū Aquitanix, qui in eisdē rebus corrigendis ante eius aduentum laborauerat, repperit. Nā Hilarius iam dudū ab exilio reuersus, Italos & Gallos docuerat, quæ dogmata essent amplectēda, & cōtrā, quæ fugiēda. Etenim vir erat lingua Latina disertus, librosque sanè valētes, vt antè dixi, ad dogmata Arii oppugnanda scripsit. Ad hunc modum igitur doctrinam concilij Nicæni in ea imperij parte, quæ ad solem occidentē vergit, ab Hilario & Eusebio defensam & propugnatam accepimus.

*Quod Macedonius & qui illi addicti erant, cum Acacianis discordabant, & quid pro se responderint.*

## CAPVT XIII.

**D**Vm hæc geruntur, Macedonij sectatores, quorū è numero fuit Eleusius, Eustathius, & Sophronius, iā tū palam Macedoniani appellari ccepti, & velut in separatu cœtū segregati, atq; morte Constantij impunitatem nacti, cōuocant in vnum Seleuciæ suæ opinionis fautores, & concilia quædam habent: in quibus & abdicant Acacianos, & fidem Arimini stabilitam reijciunt: formulæque fidei Antiochiæ editæ, & post à concilio Seleuciæ congregato confirmatæ suffragantur. Ac cum criminis loco illis esset obiectum, quod cum Acacianis dissiderent, quippe eum antè cum eisdem tanquam eiusdem opinionis cōmunicassent, per Sophronium Paphlagonem in oriente respōdebant, quod quoniam episcopi occidentis filiū patri cōsubstantialē asseruerāt, Aëtius autem eum substantia patri dissimilē docuerat: & illi separatas patris & filij substantias vocabulo, **CONSUBSTANTIALIS**, in vnā confuse colligauerant, hic autē proprietatē naturæ filij à patris natura admodum disiunxerat, idcirco ipsi piè fecissent, quod filium patri substantia similem dixerant, & mediam hanc viam, quoniā vtriq; illi ad contraria extrema deflexissent, sibi delegerant ad insistendum. Atque hi quidem illis, à quibus erant accusati, hoc modo se purgare conabātur.

Quod